

*G. habenarioides* Lehm. et Krzl. n. sp.; foliis hysteranthiis, scapo florifero 20—40 cm alto, vaginis 4—5 distantibus acutis appressis vestito, spica pauciflora (3—12), tota scapo a basi apicem usque (ibique densius) glandulosi-piloso, vaginis autem calvis, bracteis calvis oblongis acutis ovaria glandulosi-pilosa non aequantibus 7—8 mm ovariiis 1 cm longis. Sepalis ovatis acutis margine ciliatis, lateralibus paulo majoribus, petalis lineari-lanceolatis cum sepalo dorsali conglutinatis labello postico complicato ovato basi fere cordato deinde angustato apice in lamellulam oblongam obtusam apice reflexam dilatato, extus glabro intus papilloso venis intensioribus percurso, lamellula extus et praesertim intus dense villosa; gynostemio exacte Goodyerae. — Flores excepto labello glabri v. parcissime pilosi, olivacei, labellum brunnei-venosum, sepala 6 mm longa ovarium cum pedicello brevi 1,2 cm longo. — Martio.

Columbia: In turfosis humidissimis montium in Paramo de Guanacas, Andium centralium ditionis Popayan 3000—3500 m (n. 6449!). —

Ecuador: Andes orientales ditionis Loxae 3000—3400 m (n. 7444!).

A *Goodiera guianensi* Lindl. cui certissime proxima floribus ter majoribus haec species differt. Me iudice ista species a beato Reichenbachio infauste cum *Spiranthide* sub nomine *Spir. Hostmanni* conjuncta est. Nomen specificum sumpsi de habitu generali non de characteribus florum.